



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

10. Exemplum de eo, quod qui simplum dat propter Deum, centuplum recipit in hoc sæculo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

obrem magnifico sanctissimum nomē tuum,
quod non permiseris seruo tuo, vt tuam grati-
am venundaret pecunia. Sed sic quidem in an-
gustijs dilatatus vir inclytus, non pro vsu rerū
necessariarum prodidit accuratam regulæ ob-
seruationem.

*Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis E-
leemosynarij. Exemplum de eo quod qui sim-
plum dat propter Deum, centuplum recipit
etiam in hoc seculo.*

CAP. X.

AD magnum Ioannem aliquando eun-
tem ad Ecclesiam, accedit quidam no-
bilis, cui fures quas habebat facultates
diripuerant, & qui sic erat ad extremam reda-
ctus paupertatem. Cuius misertus, quæ tam
breui tempore acciderat, inopię, iussit ei dari
quindecim libras auri. Ille autem, qui iussus
fuerat dare, partim quidem cedens inobedi-
entiæ, partim autem suggestionē eorum, qui
administrabant res Ecclesiæ, tanquam non es-
sent multa reliqua, vtpotē quod nesciret ma-
gnus Ioannes thesaurum recondere, præbuit
quinque tantum ei qui rogauerat. Beato autem
Ioāni ex Ecclesia egredienti, mulier quædam
vidua admodum diues, ei tradidit chartam,
in qua scriptum erat donum quingentarum
librarum. Quam cum legisset, intellexit ex ea,
quæ in ipso habitabat, gratia, id quod non fue-
rat factum prout iusserat, de diminutione, in-
quam, quindecim librarum auri. Cum eos er-
gō

gò, qui id fecerant, accersuisset, de eo examinavit. Cum ij autem de regista mentiri conarentur, & non solum in re prius, sed etiam mendaces existere in sermone, eo ipso qui rogauerat accersito, cum rescuisset eum accepisse solas quinque libras auri, ostendens illis chartam mulieris, à vobis, inquit, dominus est exacturus alias mille. Si enim vos quindecim libras, ut à nobis statutum fuerat, ei qui rogaret praeuissetis, mille & quingentas Deo praeuisset mulier. Ut autem factis fides fiat eius, quod vobis est incredibile, accersite mihi, inquit, hanc piam mulierem. Cum ea autem accersisset, & aurum promissum attulisset: Dic mihi, inquit Patriarcha, an tantum pecuniae statuisses DEO offerre ab initio. Illa vero cum sensisset illum non latuisse id, quod seorsum ab ea factum fuerat, magno metu correpta, vniuersum arcanum enunciauit, dicens: Reuera, mille & quingentas libras scripseram in charta tibi data. Paucis autem post diebus cum eam euoluisssem, inueni mille nescio quomodo sua sponte deletas. Hinc iudicaui DEO omnino non placere, ut plures quingentis libris offerrem. Hæc illis, qui audiuerant, magnum metum iniecerunt: & accidentes simul ad pedes magni Ioannis, petierunt ut sibi remitteretur peccatum inobediencie. Illi autem Christi amanti viduæ multam à Deo precatus benedictionem, dimisit beatus Ioannes, ut abiret in pace.